# QVÆTIO MEDICA.

## QVODLIBERTARIIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS Medicorum, die Mercurij 28. Nouembris, Magiſtro Guillelmo du Val Philoſophiæ Regio profeſſore, & Doctore Medico, moderatore ſapientiſsimo.

*An vox vitæ index?*




OMINIS anima phyſicarum formarum princeps, & diuinæ illius æternæque lucis radius immortalis, humanum corpus illud quidem longè pulcherrimum, omniúmque temperatiſſimum ſibi mancipat & adſciſcit, vt functionum ſuarum expedirum & elegans inſtrumentum: Pro varietate ſiquidem officiorum vſuque multiplici, organa etiam plurima, parteſq; temperie & figurâ differentes aſſumit, has quidem ad alimenti coctionem, vt ventriculum ad χύλωσιν, Hepar ad αἱμάτωσιν; illas ad ſenſum vt oculos ad viſionem quæ fit in humore cryſtallino, aures ad auditionem quæ fit in aëre innato, alias ad motum ſiue naturalem vt arterias ad pulſum, ſiue ſpontaneum vt laryngis muſculos ad vocem, pedum ad inceſſum, ſiue mixtum, vt pulmones ad reſpirationem. Sed vt primus ille motor, motum, lumen, influxũ cœlo, ſoli, ſtellis dedit ad mundi gubernacula, ſic & anima diuinæ ſapientiæ imitatrix cordi viſcerum validiſſimo, & calidiſſimo perennem ſyſtoles & diaſtoles motum, ſpirituum ſubtiliorum oeconomiam, ac denique vitalis omnis facultatis principatum impertiuit.



INC cor vitæ arbitrer ac dominus caloriſque innati (à quo æui noſtri menſura petitur) focus eſt ac principium; cuius idcirco vt & totius thoracis temperies, affectus, & conformatio vitæ modum ac tenorem, breuitatẽ ac longitudinem clarè certóque indicat, vt licet alioqui plurima extent vitæ longioris aut breuioris argumenta, illuſtriora tamen à corde, caloriſque modulo, & totius medij ventris ſtructurâ & diatheſi repetantur. Promittunt quidem vitæ longæuitatem quadrata corporis moles, non nimis obeſa nec nimium gracilis (*craſſi autem citius moriuntur quam graciles*) membrorum apta ſyntaxis, trium partium principum Cerebri à quo nerui & facultas animalis, cordis à quo arteriæ & vita, Hepatis à quo ſanguis & venæ oriuntur, robur & εὐκρασία, temperamentum etiam ſanguineum, color floridus, oculi puri & ſplendentes (*vt enim oculi ita & corpus*) excretrix valida, victus ratio ſobria, dentes acuti & frequentes, cutis modicè addenſata, exercitatio multa, venus rara, ſomnus mediocris, curarum vacuitas, μετριοπάθεια, vt & breuitatem, quæ hic ſunt cõtraria. At ſane longè fideliùs vitæ ſtatum annuntiant arteriarum pulſatio, pulmonum reſpiratio, cordis cõtinuus motus, thoracis amplitudo, omniumque cordi deſeruientium organorũ contextus, affectiones, & officia.



OX *quæ eſt ſonus ore animalis editus, in aëre à pulmonibus attracto cum quadam intentione ſignificandi*, cordis, caloriſque innati, diaphragmatis etiam, muſculorum intercoſtalium, & muſculorum abdominis, pulmonum, aſperæ arteriæ, epiglottidis, laryngis, columellæ, earumque partium quæ vitæ priuato quodam iure dicatæ ſunt, indolem refert ac temperamentum, vt certè ſi vitalibus illis organis, ſiue vitio conformationis (vt in iis qui pectus habent depreſſum & tabulatum dicunturque σανιώδεις, vel ſcapulas alarum inſtar elatiores, dicunturque πτερυγώδεις) ſiue caloris inopia (vt in melancholicis, iiſque qui cor prægrande habent (ſiue morbi impetu, feritate, pertinacia (vt in apoplecticis, pleuriticis, aſthmaticis, peripneumonicis, phthiſicis) languor aliquis aut labes inſederit, vox ſtatim languidior ac remiſſior emittatur, atque etiam de repentè irruat ἀφωνία lethalis qualis ex ebrietate & angina ſequi ſolet: ſi verò rectè habeat tota illa thoracis regio, firmaque omni ex parte ſit, ac ſimul pectus amplum, vaſa dilatata, & cor inſito calore in quo vita conſiſtit, abundet; vox etiam magna conſtans, clara, vehemens, ac longioris ſpiritus effundatur, vt quemadmodum color per corporis cutim diſperſus, atque in facie præſertim efflorеſcens hepatis index eſt, morum & humorum: ſic & vox cordis, & pathematum & mentis (φωνὴ γὰρ φῶς τοῦ νοῦ) nuntia ſit & interpres, vitæque diuturnitatem, & robur ſi magna eſt, longa & grauis; breuitatem ſi parua, depreſſa, titubans, & interciſa, polliceatur.



IT VOX cum inſpiratus aër & muſculis thoracis atque intercoſtalibus vehementer compreſſus, è pulmonibus per arteriam vocalem confeſtim deducitur, qui anguſtiore via tractus in aërem in arteria ad larygem vſque epiglottidis oppoſitu retentum impingit, & hic ad ſummam arteriæ partem treſque eius cartilagines θυροειδῆ, κρικοειδῆ, ἀρυταινοειδῆ, quaſi ad plectra alliſus ſonat ac vocem effingit, quam ſuo acceſſu & receſſu format epiglottis, gurgulio ſcita quadam madulatione temperat, lingua, palatum, nares, dentes & labra diſtingunt ac dearticulant in ſermonem qui ſolis hominibus ad vitæ ſocietatem & iuſtitiæ cultum proprius eſt, vt vox ſolis animalibus terreſtribus (piſces enim omnes muti) ſanguineis, reſpirantibus, cor habentibus, vitamque perfectiorem agentibus. Hinc homo quia animaliũ princeps & dominus, vocem edit omnium limpidiſſimam & perfectiſſimam, qua nunc veluti fræno retinet, nunc veluti ſtimulo incitat, nunc veluti diuina quadam vi & illecebrâ placat, demulcet, allicit, cicurat & animantes & homines: Hinc eloquentiæ & muſices mira facultas: Hinc tot φωνασκοί: Humanarum autem vocum harmonia & auicularum cantilenas & inſtrumentorum ſonos ſuauitate vincit.



ST verò ad vitam tanti vox momenti vt non ſexum modò, ſed & ætates quibus quaſi gradibus & terminis vitæ tempora definiuntur, omnino diſtinguat enotetq;. Maribus enim & viris vox ineſt grauior & altior, fœminis gracilior & quaſi minuriens, ſpadonibus autem tertio hominum generi acuta, tenuis, exilis: nempè quia fæmellæ & Eunuchi frigidiores, molliores laxiores, vitæque ſunt breuioris: mares ac viri calidiores, robuſtiores, vitæque diuturnioris. In pueris autem etiam oxyphonis, & iſchnophonis quorum ætas inſito calore, & humore primigenio abundat, vox tamen adhuc mollicula eſt & imbecillis propter membrorum teneritudinem, & vocalium, vitaliumque organorum mollitiem & anguſtias. *Cum verò puerilis ætas in adoleſcentiam tranſit, fit vocis mutatio in maribus præcipuè: nam cum prius ipſis acuta vox eſſet, cum in puberes euaſerunt grauior redditur: tẽpore autem medio veluti raucam ipſi vocem edunt, hirciuntque.* Sed qui florenti ſunt ætate (quæ calida ſicca eſt) amploque pectore & latiori gutture, ij clarè conſtanter, diuque vociferantur. Senibus autem frigidis & ſiccis, vt & tabidis, ac moribundis deficiente ſenſim vita & calore, vox etiam flacceſcit, languet ac minuitur. Quod ſi inter ſenes quidam clamoſi ſint & vocales, iis vt & aliis omnibus qui altè diuque vociferantur, vita ſecurior eſt & prolixior, calidiores enim ſunt, vita autem in calore poſita eſt. *Quibuſcunque plurimum calidum inſitum eſt vocaliſſimi ſunt, frigidus enim aër plurimus atque ex duobus magnis magna & quæ oriuntur exiſtunt.*

*Ergo vox vitæ index.*

*Propugnabat Lutetiæ Pariſiorum* CLAVDIVS GERVAIS *Pariſinus, anno dom.* 1612.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

*M. Georgius Cornuty.*
*M. Guillelmus du Val, Profeſ. Reg. & præſes.*
*M. Dionyſius Guerin.*
*M. Iacobus Lætus,*
*M. Ioannes Riolant.*
*M. Andreas le Gros.*
*M. Nicolaus Iabot.*
*M. Simon Pietre.*
*M. Georgius Cornuty.*

